

elaborauī tam naturales quam essentielles ad normam generum plantarum, e quibus nunc characterem Scarabaei Melolonthae TIBI communicabo et iudicium summi praeceptoris submisſe expeto.

Palpi quatuor inaequales filiformes.

Anteriores longiores quadriarticulati, articulo primo tertioque breuissimis adhaerentes maxillae inferiori.

Posteriores breues, triarticulati articulis subaequalibus adnati medio interno labii inferioris.

Maxilla superior breuis cornea, arcuata, inermis, apice bifida.

Maxilla inferior breuis cornea, subarcuata apice multidentata.

Labium inferius porrectum corneum cordatum.

Character essentialis consistit in maxilla inferiori multidentata. Ad hoc genus pertinent Melolontha, solstitialis, sepicola, horticola, fullo aliaque.

Responsione TVA si me beare velles, vt aut ad parentem optimum Hafniae aut ad inspectorem Birkhan Dresdae mittas velim, tunc enim tuto accipiam.

In Botanicis vnicam Targioniam hic inueni, spero tamen aestate veniente plures et muscos et plantas accipere. Sequitur simul figura animalculi istius, quod nouum genus putant Dresdenses, vt et phalaenae rarioris; quas ambas ab inspectore Birkhan communicatas accepi. Coniugem suauissimam familiamque totam nobilissimam meis verbis salutes etiam atque etiam rogo, qui semper TVAM valetudinem feruenti pectore opto.

[Uden Datum; efter Indholdet uden Tvivl fra 1766.]

(85)*

Kiliae d. 25. Dec. 1782.

Gratissimae fuere litterae Tuae Utrecht datae, quas hodie accepi. Gratulor reditum speroque Te aliquot dies nobiscum terere. Matutino tempore videbis Forskåhliana, videbis alia, post meridiem vero frequentabis filios filiasque regionis nostrae.